

CAPUT III.

De mendacio, & de nono, & decimo
Decalogi Præcepto.

26. *Quæst. 1.* Quid sit mendacium, & quo modo prohibitum? Mendacium ex S. Aug. & Th. est omnis locutio contra mentem; nomine autem locutionis venit etiam quæcumque externa significatio, v. g. gestus, scriptura, & nutus. Illud esse prohibitum jure Divino, constat ex multis Scripturæ locis; nam Levit. XIX. v. ii. præcipitur: *non mentiemini.* Eccl. 7. *nolli velle mentiri omne mendacium.* Paulus autem ad Colos. 3. *nolite mentiri invicem.* Jure quoque naturæ prohibitum est, atque adeo per se, & natura sua malum est; pervertit enim ordinem naturæ, quæ instituit locutionem, ut possint homines sibi ipsis invicem sensus communicare. Si liceat autem aliud verbis exprimere, aliud mente celare, finis vitæ socialis evertetur.

Duplex autem esse potest mendacium, aliud jocosum, sive officiosum, quod joci, vel excusationis causa profertur, idque de se veniale est; aliud perniciosum, quod lædit honorem Dei, vel damnum infert proximo: istud vero est grave peccatum, nisi excuset levitas materix, vel inconsideratio mentis. Hinc Sap. 1. dicitur: *os, quod mentitur, occidit animam.* & Ps. 5. *perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

27. *Quæst. 2.* Quid prohibetur nono, & decimo præcepto: *non concupisces domum proxi-*

mi tui, nec desiderabis uxorem ejus. Exodi 20. v. 17. R. duplici hoc præcepto prohibetur avaritia, quæ est appetitus immoderatus divitiarum; atque etiam desiderium alienæ uxoris, in quo continentur internæ concupiscentiæ, & affectiones circa ea, quæ in sexto præcepto prohibentur. Itaque consulenda sunt ea, quæ diximus de sexto, & septimo præcepto, atque etiam dicenda de peccatis.

TRACTATUS IX.

De Præceptis Ecclesiæ.

Ecclesiæ præcepta, populo Christiano communia, quinque omnino numerantur; ex his solum nobis agendum est de præcepto jejunii Ecclesiastici, & de præcepto solvendi Decimas; de sacri enim auditionem satis est dictum in tertio Decalogi præcepto: de præcepto autem annuæ Confessionis, & de præcepto Eucharistiæ dicitur in Tractatibus de Sacramento Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Sit ergo—

CAPUT I.

Quid sit jejunium, & qualis ejus obligatio.

1. *Quæst. 1.* Quænam condiciones requiruntur ad jejunium Ecclesiasticum? R. Tres: Unica in die comestio, quæ sub gravi obligat: abstinentia a carnibus, ovis, & lacticiniis, &

certa hora unicæ refectionis. Circa 1. conditionem notandum est, non licere sine peccato gravi plures refectiones sumere, excepta cœna parvula, quæ consuetudine est tolerata. Constat ex damn. ab Alex. VII. prop. 11. Si quis tamen negotii causa prandium solitum interrumpit, confecto negotio, potest ad illud redire, quia moraliter unum censetur prandium. Quod ad 2. attinet, certum est, abstinentiam ab ovis, & lacticiniis sub gravi obligare ex præcepto Ecclesiæ in jejuniis quadragesimæ, ut constat ex Prop. damn. ab Alex. VII. *non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima, obliget.* Obligat etiam in dominicis quadragesimæ, nisi loci consuetudo permittat. Extra quadragesimam vero communis sententia docet, jure communi non esse prohibitum in diebus jejunii edere ova, & lacticinia: sed ubi consuetudo viget, est obligatio & quidem gravis abstinendi; merito enim præsumitur inductam esse talem consuetudinem cum animo se obligandi, & quidem sub gravi, quando constanter, & tum gravi incommodo a populo diutius observatur, nec contrarium constat, ut recte notat Suarez *de reh. lib. 7. c. 15.*

2. Hinc non licet in diebus jejunii comedere panes bis coctos, ovis confectos; sæpe autem erit solum veniale, quia quantitas ovorum exigua est. Nec licet ei, cui permissa sint lacticinia, miscere laridum, & sagimen, nisi necessitas, & consuetudo id alicubi permittant, cum vere de natura carnis participent. Sed quænam animalium carnes vetitæ sunt in diebus jejunii?

ait S. Th. 2. 2. q. 147. interdici carnes animalium *in terra nascentium, & respirantium.* Sed in hoc standum est judicio peritorum, & legitimæ consuetudini. Hinc non censentur prohibitæ carnes limacum, testudinum, ranarum, & concharum. Idem dicitur de viperis, lustris, castoribus, fibris, & aliis quæ cum piscibus comparantur. Aves autem, licet aliquæ nutriantur in aquis, ut fulices, & corvi marini, inter carnes numerantur.

3. *Quæst. 2.* Quibusnam licite possint ministrari carnes? R. pueris, usu rationis carentibus ante septennium, sicut & perpetuo amentibus. Idem dicunt multi de pueris, qui completo septennio, nondum usum rationi adepti sunt. Quid vero si ante septennium rationis usu polent? Affirmant aliqui, quorum sententia non videtur improbabilis ex doctrina D. Th. quia lex positiva tantum respicit ea, quæ ut plurimum evenire solent. Negat tamen Suarez probabilius, quia Ecclesia non definit tempus septennii, sed tempus, quo pueri sint capaces præcepti; tales autem sunt cum primum sunt rationis compotes. Si oriatur dubitatio de usu rationis non possunt dari carnes edendæ puero post septennium; possunt tamen ei ministrari, qui septennium non attigit, quia possidet libertas.

4. *Quæst. 3.* An dispensati ad carnes edendas, teneantur ad jejunium? R. aff. ex decreto Bened. XIV. qui in ep. encyclica in forma Brevis, data an. 1741. declarat 1. nemini sine legitima causa, & de utriusque medici consilio, integro autem populo non nisi gravissima de causa a qua-

dragesimali jejunio dispensatione concendam esse. 2. sic dispensatos servare debere unicam comestionem, nec posse licitas, & interdictas epulas promiscue usurpare. Idem autem Pontifex anno 1744. in ep. ad Archiepiscopum Compostellæ declarat 1. eos, qui facultatem habent vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri ad geminas has conditiones, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum, 2. eos quibus concessum est vesci carnibus, non posse in vespertina refectiuncula carne uti, sed eo tantum cibo, eaque portione, quibus utuntur jejunantes meticulosæ conscientiæ. 3. iis horam jejunantibus præscriptam servandam esse. 4. epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas; epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia. 5. præceptum de utroque epularum genere non permiscendo complecti etiam dies Dominicos quadragesimales. 6. duo hæc præcepta, scilicet unicæ comestionis, & carnes piscibus non permiscendi urgere etiam extra quadragesimam.

5. *Quest. 5.* An dispensati ad carnes edendas, possint vesci carnibus porcinis, & aliis, quæ vulgo dicuntur insalubres? R. affirm. nisi expresse prohibeantur; cum facultas utendi carnibus sit generalis, nec restringenda ad hoc, vel illud genus carniæ, præsertim quum id sit maxime scrupulis, & dubiis obnoxium, dum non ita facile sciri potest, quænam sint carnes salu-

bres. Profecto carnes porcinas inter saluberrimas enumerant peritissimi Medici Hoffman & Riverrius, in eaque fuisse sententia Galenum asserunt. Quod si Hebræis suillæ carnes interdictæ sunt, non ideo id fuit; quia nocivæ, sed quia habebantur immundæ; alias etiam lepores, aliæque his similes dicendæ essent nocivæ. V. Calmet in *Levit. 11. 8.* Affertur a Concina edictum Clem. XI. Romæ publicatum, in quo dispensatis solum permittuntur carnes salubres. R. id solum fuisse pro ditione Ecclesiastica, ut declaravit Bened. XIV. nec nos dubitamus posse aliquando dispensationem limitari ad certum genus carniæ, sed dum generalis est dispensatio, locum non habet prædicta limitatio.

6. *Quest. 6.* Quid sentiendum circa horam prandii? R. primis Ecclesiæ temporibus jejunii diebus nihil omnino cibi sumebatur usque ad vesperein post occasum solis: deinde retroacta est hora refectiois usque ad horam nonam, hoc est, usque ad horam mediam inter meridiem, & occasum. Verum a sæculo XIV. consuevit prandium fieri circa meridiem, quod moraliter intelligendum est, non mathematicè, inquit D. Th. 2. 2. q. 137. a. 7. In multis Europæ locis apud Regulares usus habet, prandium antevertere per integram horam. Quod si causa sit justa, nullum est peccatum, ne quid veniale; si vero sine causa id fiat, erit certè veniale. Sunt, qui mortale asserant; cum præceptum de jejunio non solum obliget ad unicam comestionem, sed etiam ad horam comestionis; verum hæc conditio in recepta opinione non est de essentia jejunii,

sicut in officio Divino hora recitationis licet sit præcepta, non pertinet ad officii substantiam, adeoque graviter non obligat. Neque obstat, ut notat Elbel, quod anticipando prandium, finis jejunii frustretur, nempe carnis maceratio. 1. quia ea postea compensatur cum longiori intra diem abstinentia. 2. quia finis præcepti non cadit sub præceptum; alias qui natura, vel consuetudine parcissime vivunt, præcepto jejunii non satisfacerent.

7. *Quæst. 7.* An peccet mortaliter qui sæpius in die parum cibi sumit? R. affirm. quia parvæ illæ quantitates in unum quid grave coalescerent. Hinc merito Alex. VII. damnavit hanc propositionem: *in die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, & si notabilem quantitatem in finem comederit, non frangit jejunium.* Unde non licet, quoties libuerit, parum cibi sumere ad bibendum, ne potus noceat: licet aliquando ex necessitate bibendi id permittant Elbel, Sporer, aliique cum Laymano. Excusantur autem, qui aliquid sumunt, ne vires deficient, quando prandium differre multum debent ultra horam consuetam, ut Religiosi mensis ministrantes, aut lectores, & famuli, modo unicam tantum refectionem intendant. Quandiu autem prandium interrumpi possit, inta ut illud continuari possit, non facile definiiri potest. Profecto post horam integram non potest dici prandium non interrumpi; imo post semihoram: nisi negotium intercessit, nec sufficienter quis se refecerit, ita ut sine gravi incommodo nequeat jejunium tolerare.

8. *Quæst. 8.* Utrum electuaria fragant jejunium? R. D. Th. 2. 2. q. 137. ar. 6. ad 3. ait: *electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Idem communiter affirmatur de vino, & aliis potionibus, quæ licet aliquo modo nutriant natura sua sunt instituta potius ad refrigerium, quam ad alimentum. Et licet usus vini in diebus jejunii antiquis Ecclesiæ temporibus fuerit prohibitus, ut constat ex D. Th., hodierna tamen consuetudo id permittit. Non tamen permittitur sumere jusculum, lac, uvas recentes, aliosve fructus, nisi forte in parva quantitate adhibeantur per modum medicinæ ob aliquam necessitatem. Atque ita jejunium non frangunt, qui mane sumunt parum panis cum haustu vini, ut sine tanto incommodo possint jejunare.

9. *Quæst. 9.* Quid dicendum de aliis potionibus, quæ hodierna die in usu sunt? R. in universum dictum est, eas non frangere jejunium, quæ ad extinguendam sitim, vel ad refrigerium quoddam institutæ sunt, & non primario ad nutritionem corporis. Hinc permittitur ab omnibus usus *thè*, & *caffè*, pariter potus cervisiæ ex hordeo, & cerasis confectæ, ut & aquæ mixtæ saccharo, & succo mali cedrini, vel cinnamomi, quæ apud nos audiunt *sorbetti*, vel *limonate*, si cum magna aquæ quantitate parva aliarum rerum quantitas misceatur, ut fere usu ve-

nit. Prohibitæ tamen sunt potiones lacte mixtæ, etiam iis, qui ab abstinence carniû sunt *dispensati*, ut constat ex Constit. Clem. XIII.

10. *Quæst. 10.* Utrum potio Chocolatis frangat jejunium? Affirmant aliqui, eo quod non habeat rationem potus, sed alimenti, ad instar lactis, & juscûli. Negant alii ob contrariam rationem, modo aqua in quantitate sit longe majori. Alii volunt sumi posse ut electuaria, per modum medicinæ ad confortandum stomachum, & caput. Sed si rationem habeat medicinæ, non poterit sumi, nisi cum vera intercedit necessitas, & in parva quantitate, eo modo quo cibi alii sumuntur ab ægrotis, cum medicina præscribit. Quicquid sit de rationibus intrinsecis, censeo cum Salmant. usum moderatum chocolatis non frangere jejunium. Ratio autem fundatur in universali consuetudine, quam sciunt, & tolerant Prælati Ecclesiæ, quæ consuetudo legi derogavit. Nam ut ait D. Th. disserens de operariis, & peregrinis: *ex hoc ipso, quod Prælati dissimulant, videntur annuere.* Atque huic opinioni favet in Notif. suis Bened. XIV. qui non probat tamen, ut sumatur toties quoties libuerit, aut aliquibus placuit. Quod autem spectat ad quantitatem, standum est in unaquaque provincia consuetudini receptæ apud viros meticulousæ conscientiæ.

11. *Quæst. 11.* Quid sciendum est de cœna parvula, quæ vespere fieri solent? R. per eam non frangitur jejunium, quia consuetudine tolerata est. Non licet tamen sine justa causâ ejusdem tempus commutare, v. g. mane, vel meri-

die: ex causa tamen rationali id licet, v. g. itineris, negotii, studii, & similium. Quod si mutetur absque causa, non erit nisi peccatum veniale, cum non violetur substantia jejunii. Ita Toletus, Salm. cum communi. In serotina collatiuncula duo maxime spectanda sunt, quantitas ciborum, & qualitas, in quibus attendenda est consuetudo locorum. Quoad quantitatem a nonnullis assignatur quarta pars cœnæ, quæ duas libras non excedat; alii non nisi tres, quatuorve uncias cibi permittunt. Hodierna autem consuetudo obtinuit, quinque, aut sex uncias adhibere; imo uncias octo solent multi, iique probi viri assumere, ut testatur Roncaglia, Potestas, atque etiam Milante, estque doctrina communis apud Salmant. Quod attinet ad qualitatem, certum est, sumi posse panem, fructus, herbas, & dulciaria. Non licet tamen ova sumere, nec caseum, aut butyrum, nisi forte in parva quantitate, ubi usus obtinuit, ut in aliquibus regionibus, præsertim frigidioribus. Idem dico de piscibus, quos, etiam si grandes sint, licet in parva cœnula comedere cum debito moderamine, inquit Millante. Panem in aqua coctum non licet sumere, nisi in parva quantitate, ita ut pondus ejus ita cocti non excedat permissæ cœnulæ quantitatem. Idem dico de acetis, oleo, aut vino decocto, quæ computanda sunt in pondus ciborum. Sed in his, aliisque standum est piorum, & doctorum probatæ consuetudini. Hinc in Vigilia Nativitatis Domini permittitur quantitas duplo major, idque etiam si incidat in Sabbatum quatuor Temporum: ea-

dem in aliquibus locis viget consuetudo in Cœna Domini.

12. *Quæst. 12.* Quoties is peccet, qui sæpe in eadem die solvit jejunium? R. Certum est, eum, qui carnes comedit, toties peccare, quoties eas manducat, cum præceptum abstinendi a carnibus sit negans, adeoque sæpè obligans. Idem asserunt multi de abstinèntia a secunda comestione, quæ præceptum negans includit, scilicet, *ne plus comedas, quam unica comestione.* Contraria tamen sententia communior est, & probabilior; tum quia præceptum jejunii est positivum, per se præcipiens unicam in die comestionem; tum præcipue, quia essentia jejunii consistit in unica comestione, ut docet D. Th. 2. 2. q. 146. a. 6. *Ecclesiæ moderamine statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur.* Quare destructa essentia jejunii, cessat jejunium; proindeque non est ulterior illius obligatio. Quæ ratio locum non habet in abstinèntia a carnibus, sinè qua consistere potest ratio jejunii, ut viderè est in iis, qui legitime dispensantur ad carnes manducandas; quibus jejunii forma præscripta est. Erit tamen veniale peccatum, soluto jejunio; iterum manducare, cum sit contra finem præcepti.

13. Nota vero, eos, qui absque culpa bis comedunt in die, teneri ulterius abstinere, cum solum *materialiter* fregerint legem jejunii, quam tenentur servare, cum primum eam animadvertunt. Ita Azor. Val. & alii. Sunt tamen, qui probabiliter contrarium affirmant juxta nuper dicta. Holzm. Elbel, Sporer, & alii. Quæri so-

let, an liceat cauponibus ministrare cibos omnes, etiam prohibitos in die jejunii? R. id generatim non licere, nisi ratio sit prudens credendi, invitatum esse immunem ab obligatione jejunii, aut alia gravis ratio accedat, excusans a peccato scandali; eo fere modo quo diximus de coopèrantibus ad peccatum alterius.

CAPUT II.

De causis excusantibus a jejunio.

14. *Quæst. 1.* Quænam a jejunio excusent? R. quatuor, scilicet Superioris *dispensatio, impotentia*, sive physica, sive moralis; *labor* qui cum jejunio stare non possit, saltem sinè gravi incommodo; denique *pietatis opera*, ex officio, necessitate, vel saltè gravè utilitate suscepta.

Quæres: Quis possit circa jejunium dispensare? R. S. Pontifex cum universa Ecclesiâ, & Episcopi cum suâ Diocesi, si causa sit justa. Quamquam in lege universalis jejunii Episcopum non possè dispensare pro universo grege, est opinio non modo communior, sed etiam magis rationi consentanea, teste Bened. XIV. in Bulla *Prodiit jamdudum*. Intellige, nisi difficilis sit auditus ad R. Pontificem. Potest tamen cum particularibus subditis vel commutare, vel dispensare; uti & Parochi id possunt sed non pro tota Parochia, ex consuetudine, & tacita Episcoporum permissione. Possunt etiam dispensare cum suis subditis, & cum semetipsis Prælati Regulares, qui vera habent jurisdictionem. Atque hoc loco